



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. X. Vtrum temporalia bona cadant sub merito?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ARTICVLVS X.

Vtrum temporalia bona cadant sub merito?

232. **P**ro resolutione huius difficultatis breviter observandum est, bona temporalia dupliciter posse considerari, nempe secundum se, & prout conducunt ad vitam æternam. Reolenda est etiam divisio meriti in meritum de condigno, quod est tale simpliciter, & in meritum de congruo, quod comparative ad meritum de condigno, est meritum imperfectè tantum & secundum quid. His præmissis.

Dico primò: Si bona temporalia secundum se spectentur, iustus ea non meretur de condigno. Ita D. Thomas hic art. 10.

233. Probatur primò: De ratione meriti de condigno est quod ordinetur ad præmium, tanquam medium ad finem, & via ad terminum: Sed bona opera iustorum, à gratia & charitate procedentia, cum sint ordinis supernaturalis, nequeunt ordinari ad bona naturalia & temporalia, tanquam ad finem & terminum: Ergo iusti per bona opera talia bona de condigno non merentur, nec illa apud Deum propriè computantur iustis in præmium, sed quando expedit, quasi pro corollarijs dantur, juxta illud Matth. 6. *Hæc omnia adjiciuntur vobis.*

234. Confirmatur: Meritum de condigno, & præmium, debent esse ejusdem ordinis: Sed bona temporalia, & bona opera iustorum, à gratia & charitate procedentia, sunt diversi ordinis, cum illa sint intra ordinem naturæ, ista verò pertineant ad ordinem gratiæ: Ergo, &c.

235. Probatur secundò: Si iusti bona temporalia secundum se spectata de condigno mererentur, cum meritum de condigno apud Deum infallibiliter consequatur suum præmium, iusti semper plus haberent bonorum temporalium quam peccatores: cuius tamen oppositum quotidiana demonstrat experientia; bona enim temporalia & mala similiter se habent ad bonos & malos, secundum illud Eccles. 9. *Universa æquè eveniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.*

236. Dico secundò: Iustus potest sibi bona temporalia secundum se spectata, de congruo promereri. Ita D. Thomas articulo citato, ubi sic loqui-

A tur: *Si autem considerentur huiusmodi bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid:* At meritum de congruo est meritum secundum quid: Ergo ex D. Thoma iusti possunt mereri de congruo bona temporalia, secundum se spectata. Imò etiam ipsi peccatores, per opera bona moraliter, talia bona de congruo interdum merentur, ut Idem S. Doctor affirmat in 2. distinct. 27. quæst. 1. articulo 4. dicens: *Frequenter, ut Gregorius dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum qui præmium futura gloria non meretur, ut nullum bonum irremuneratum invenitur.* Et lib. 4. de regimine Principum cap. 4. 5. & 6. cum D. August. in libris de civitate Dei ostendit Romanos mundum subjugasse, & dominium ac imperium meruisse, ob amorem patriæ, zelum iustitiæ, & singularem pietatem, ac civilem benevolentiam.

Dico tertio: Iustus potest de condigno mereri bona temporalia, secundum quod ad vitam æternam conducunt. Est etiam D. Thomæ art. citato dicentis: *Temporalia bona, prout sunt utilis ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam, directe & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ, & omnia alia, quibus homo ordinatur ad perveniendum in beatitudinem.*

C Ratio etiam id suadet: Eodem enim merito quo quis meretur finem, meretur etiam mediâ conducentia ad talem finem: Sed iustus per bona opera meretur finem, nempe vitam æternam, merito de condigno: Ergo eodem merito merebitur bona temporalia, prout ad vitam æternam conducunt.

Nec obstat quod bona temporalia, secundum se considerata, non sint simpliciter bona, sed solum secundum quid: cum hoc enim stat, quod si spectentur, prout sunt mediâ ex divina ordinatione iustos conducentia ad beatitudinem, sint simpliciter bona; medium namque participat bonitatem finis, & sic quando finis est simpliciter bonus in se, mediâ dici possunt simpliciter bona; beatitudo autem est simpliciter bona.

Sed hic breviter observandum est cum D. Prospero sentent. 212. quod Deus non semper confert ea bona temporalia quæ postulamus, sed vel illa, vel alia magis ad salutem & vitam æternam conducentia: *Fidelis (inquit) supplicat pro necessitatibus huius vite, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo sit utilis, magis novit medicus quam agrotus.*

